

ad futura vitam. Scindi ergo debet, ut præbeat tibi vestem gloriosam et incorruptibilem. Scinditur in morte, sarcietur in resurrectione justorum. Et sane si oportuit ipsum Christi corpus sanctum impollutum ita concidi, tamque foede lacerari, ut non haberet speciem, neque decorem, priusquam vestiretur gloria uti ex Ps. XXIX. audivimus, quid miramur, si id ipsum corporibus nostris accidat? Tunc enim cantabit Deo laudem gloria nostra, et non scindemur amplius neque compungemur. Hinc exclamat S. Hier. jam moribundus: (in ep. Eusebii ad Damasc. de morte Hieronymi.) « O quantum lucrum mihi est est mori, quoniam vivere deinceps meum Christus est! Ecce terrestris domus hujus habitationis dissolvitur, ut alia succedat non manufacta sed æterna in cælo. Ecce quod mortale est vestimentum exuor, et æternum induar. » Et infra: « Expolia me ista mortali tunica mea quam fero, ut induam me vestimentis lætitiæ, etc. »

V. Quia sarcinam debitorum saltem contrahendorum deponimus per mortem, et liberamur ab exactore, qui ad solvendum nos urgebat. Lucrum vero censendum est, cum quis a servitute redimitur et in libertatem asseritur. Qua de re audiamus S. Amb. l. de bono mort. c. II. ita loquentem: « Quid tantopere vitam istam desideramus, in qua quanto diutius quis fuerit, tanto majore oneratur sarcina peccatorum? Ipse Dominus ait: Sufficit diei malitia sua. Et Jacob dixit: Dies annorum vitæ meæ, quos habeo, centum triginta, minimi et mali: non quia dies mali, sed quia nobis accessu dierum malitiæ incrementa cumulantur. Nullus enim dies sine peccato nostro præterit. Unde egregie apostolus ait: Mihi vivere Christus est, et mori lucrum: aliud ad necessitatem vitæ referens, aliud ad mortis utilitatem. » Et paulo post: « Lucrum est evasisse incrementa peccati, lucrum fugisse deteriora, et ad meliora transisse. » Dicere de nobis etiam possimus, quod de negante Petro dixit S. Augustinus in Joan. scribens: « Deo gratias, quia cessavit interrogatio, (ancillæ et aliorum adstantium) si non cessaret interrogatio, diu repeteretur negatio. » Si enim tot laqueis et tentationibus hujus sæculi diu persistamus, diu et sæpe cademus et irretiemur. Deo igitur gratiæ agendæ et pro lucro habendum, si hos laqueos tandem per mortem evadamus. Unde S. Cyprianus, tract. de mortalit. scribit: « Paulus in epist. sua pœnit. et dicit: Mihi vivere Christus est et mori lucrum. Lucrum maximum computans, jam sæculi laqueis non teneri, jam nullis peccatis et vitiis carnis obnoxium fieri, exemptum pressuris angustibus et venenatis diaboli

faucibus liberatum ad lætitiã salutis æternæ Christo vocante proficisci. » Et iterum: « Amplectamur, inquit, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos hinc ereptos et laqueis sæcularibus exsolutos paradiso restituit, et regno cælesti. » Doceant nos hoc ciconiæ. Quando enim Attila Aquileiam diutissime obsedit, adverterunt tandem ciconiæ, quæ in civitate nidulabantur civitatem ad extrema redactam, squalore, extinctionum cadaveribus, et viventium lamentationibus repletam; ideoque emigrarunt, et hoc ipso Attilam ad premendam obsidionem admonuerunt, apud Aldrov. in ornith. Quando igitur et nos experimur tot laqueis undique cingi, tot malis premi, tot peccatis nos onerari, cur non in tutiorem locum emigrare desideremus, vel cum tempus venit, libenter hinc migremus? Quæ omnia non dubitamus expendisse defunctum nostrum, adeoque dum adhuc viveret nobiscum, petiisse dissolvi ab his mundi miseris, adeoque pro lucro computasse suum ex hac vita discessum: præsertim cum sciamus fuisse jam hujus vitæ saturum, nihil in hoc mundo magnopere amasse, laboribus et curis exhaustum fuisse, etc. Quare gratulemur ei potius de hoc lucro quam doleamus; quin et in lucro ponamus, si pari laude sequi eum possimus, etc.

CONCIO XXV.

MORS APERIT HOMINI OCULOS.

THEMA.

Ipse ad sepulcra ducetur, et in congerie ossium vigilabit. Job. XXI.

In vita S. Athanasii episcopi Neapolitani fertur cujusdam cæci lapsus. Hic in monte Cassino ad cœnobium B. Benedicti degens, cum frequens in templo esset quodam die de more ingressus, offendit, (ut cæcis evenire solet) in sepulcrum S. Athanasii, cujus corpus Neapoli eo translatum fuerat, cadensque sepulcrum attigit, quo contactu acerrimum oculorum visum e vestigio consecutus, amplius eo non caruit. Quod cæco huic in corpore accidit, plerisque si non omnibus contingit in animo, cum ad sepulcrum appropinquant, et jam quasi id pede pulsant, collapsi in lethalem morbum. Ibi enim mors jam instans aperit eis oculos, ut acerrime videre incipiant, quæ prius dum valerent, veluti cæci non viderunt, idque sæpe felici successu ut prius, quam in sepulcrum plane corruant: sibi de salute animæ suæ prospiciant. Vidit hoc

S. Job, c. XXI. quando loquens de perverso homine, qui velut cæcus et præceps ruit in scelera, nec admittit reprehensorem ullum: *Ipse, inquit, ad sepulcra ducetur, et in congerie ossium vigilabit.* Supponit peccatorem quasi somno sopitum oberrare in peccatis sicut cæcus oberrat in viis suis. Quare uti cæcus ille ad sepulcrum oculos aperuit; ita qui in peccatis dormit, vigilare ad occursum mortis incipit. Itaque mors imminens sæpe fausta, et felix est, qui hoc demum lapsu oculos aperit, uti nunc videbimus.

I. Incipiunt videre, quam velociter transeat vita hominis, et quidquid in mundo habetur. Longum esse videtur spatium 60. aut 70. annorum, cum adhuc procul ab eo absunt viventes; at cum emensum est, brevissimum æstimatur. Agnovit hoc moriens Theophrast. philos. Lesb. quum millium discipulorum magister, qui rogatus a discipulis, documentum aliquid ut relinqueret illis, dixit: *Nos cum vivere incipimus, tum morimur.* Laert. l. V. Sic videbatur Ezechiæ regi, jam ut putabat, morituro, cum dixit Isa. XXXVIII. *Cum adhuc ordiret, succidit me,* q. d. putabam me primum vivere cœpisse, et ecce jam me finisse video. Et mox: *Recogitabo tibi omnes annos meos;* quod auctor quidam doctus sic vertit ex Hebræo: *Commovebo caput,* h. e. *mirabor et stupebo omnes annos meos,* q. d. miror quorsum devenerint omnes anni mei: quorsum tam cito avolarint, cum vix cœperim vivere. Idem mirabatur Job, judicio suo jam moriturus: *Dies mei velociores fuerunt cursore; fugerunt et non viderunt bonum. Pertransierunt quasi naves poma portantes, sicut aquila volans ad escam.* Quid velocius cursore præsertim fugitivo, qui deprehendi metuit? Quid nave, quæ poma levissimum suum transitum. Sane longævo illi Mathusalem, uti refert auctor fasciculi temporum, quingenti jam exacti anni; et reliqui fere totidem tam pauci videbantur, ut supervacaneum arbitretur struere sibi domum, ob tam brevem ætatem; adeoque mallet sub arborum ramis aut in spelunca degere: quid sentiendum erit de 60. aut 70. solum annis, quos pauci valde excedunt? Ut ergo qui per octo horas fessus continuo dormivit, cum evigilat, miratur tam velocem tot horarum lapsum: ita continget illis, qui post exactos annos plurimos pulsant fores mortis, ibi ergo evigilant, et vitam suam quantumvis prolixam nonnisi somnium fuisse indicabunt.

II. Vident ea, quæ dum valerent, magna esse

II. PARS HIEMALIS.

censebant, vana et inania esse mundi bona, honores, divitias, favores; siquidem ab eis nihil jam subsidii nihil opis se habere posse cognoscunt. Id agnovit imprimis Volsæus episc. Henr. VIII. Angli adulator pessimus, qui tandem in odium regis cum incidisset, et ad mortem condemnatus duceretur, effatus est: *Utinam nihilominus læsæ majestatis divinæ reus non essem? Nunc autem dum regis placere et servire statui, et in Deum peccavi: et regis gratiam perdidit,* Sander. l. I. de schismate Anglicano. Similem in modum aperuit oculos, sed felicius quam ille ægrotus quidam, qui apud Vin. Belvacensem in speculo morali, cum in extremis constitutus opem marchion. cujusdam postulaverat, cui multo tempore et fideliter servierat, sed incassum. Cum enim marchio ægrotantem sæpius reviseret, sponderetque operam suam, modo is ediceret, qui rerum sibi deesset; addens nullis se impensis parsurum, modo æger desiderium suum exponeret, respondit: « Si pro meis laboribus et servitio fideli aliquid mihi gratum rependere decrevisti, fac ut mortem imminens evadam, aut saltem una hora ab his doloribus meis sublevar, et si contingat me hinc emigrare, una saltem nocte provideas mihi de hospitio comodo. » Cumque marchio diceret, hæc omnia in Dei solius manu esse, se vero temporalia, quæ posset libenter, subministratum. Tum æger ad adstantes versus: « Videtis nunc, charissimi, quam male tempus impenderim, serviendo isto domino, qui nec ad unam horam liberare me ab his doloribus et animæ periculis potest. Suadeo itaque vobis, ut meo exemplo sapiatis et tali Domino serviatis, qui nos in extrema necessitate potest adjuvare; id quod etiam, si convaluero, facturum me spondeo. » Obiit ergo in hac cogitatione bene, ut spes erat. Idem sensere, qui in l. Sap. c. V. divitias suas accusarunt, dicentes: « Quid profuit nobis superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra, etc. » Bene igitur de talium felicitate dixit Sophar, amicus Jobi: *Velut somnium volans non invenietur: transiet sicut visa nocturna.* Itaque secundum illum vita hæc mundanorum somnus est et somnium, mors vero vigilia est, in qua videbunt opes, honores, et deliciae suas mera somnia fuisse, in quibus videbantur sibi divites, sublimes, hilares: ast ubi adventante morte evigilant, nihil habuisse reprehendunt. Similes profecto Mycio illi, revera pauperi, et nonnisi per somnium diviti, indignanti adversus sapientissimum gallum, his apud Lucianum verbis: « At te scelestissime galle, cum ista tua invidentia voceque

tam acuta ipse perdat Jupiter, qui quidem opibus affluentem me, ac dulcissime in somnio versantem et admirabili felicitate fruentem penetrabile quiddam et clamorosum resonans expergefeceris. » Cui facete gallus : « Videte, ne per somnium dives, esurias experrectus. » Eleganter de hoc impiorum somnio S. Gregor. dixit : « Quos evigilasse pœnitel, quia vigilantia vera inopia tenet, et cum carnis oculos claudunt, mentis aperiunt, » apud Pinedam, in c. XX. Job, y VIII. Et ipse Job, y XXVII. *Dives cum dormierit, nihil secum auferet, aperiet oculos suos et nil inveniet* : similiter et David, Ps. LXXV. *Dormierunt somnum suum et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.*

III. Vident se in hoc mundo frustra laborasse, tempus et talenta sibi credita male impendisse; quod prius videre noluerunt : adeoque aranearum telas texuisse, juxta id Isa. LIX. *Tales araneæ texuerunt. Tela eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis.* In quæ verba S. Greg. I. V. c. VIII. ait : *Telas araneæ tenere, est pro hujus mundi concupiscentia, temporalia quælibet operari, quæ dum nulla stabilitate solidata sunt, ea procul dubio ventus vitæ mortalis rapit.* Agnovit hoc de suis machinationibus Henr. VIII. Angl. rex qui ut suis potiretur voluptatibus, nihil non molitus, demum monasteria et templa expoliavit : nihilominus tamen ad egestatem redactus sub finem vitæ pateram vini suis præbens fassus est : *Amici omnia perdidimus,* ap. Flor. Ræmund. I. VI. de orig. hæ. Agnovit Albert. archiep. Hamburg. anno 1072. qui pauperum oblitus, cum sua dispersisset in divites et assentatores, in extremis crebris iteravit suspiriis verba hæc : « Heu me infelicem et miserum, qui tantas largitiones in vanum effudi! Potuissem esse beatus, si in usus pauperum ea convertissem, quæ pro sæculi gloria me distraxisse nunc nimium doleo, » teste Granzio in metrop. I. V. c. IX. Denique Salomon jam sepulcro propinquus id agnovit, quando dixit : *Cum me convertissem ad universa opera quæ fecerant manus meæ, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nil permanere sub sole,* Eccl. II. Verum utrum juxta hanc cognitionem suam sese emendarit, et pœniterit, non est usquequaque certum. Non defuerunt enim qui licet in extremis agnoscerent vanitatem mundi et errores suos, tamen respiciunt; uti mox dicemus.

IV. Vident et agnoscunt peccata sua, quæ prius non viderunt; id quod timuisse videtur David, ait enim Ps. XLVIII. *Cur timebo in die mala, Chald. in die tempestatis?* Et respondet :

Iniquitas calcanei mei circumdabit me, q. d. unum hoc timeo, ne in fine vitæ peccata mea cingant et excrucient me. Forsan edoctus fuit exemplo Saulis, antecessoris sui, qui cum ad mortem in prælio vulneratus esset, petiit a milite : Sta super me, et interfice me, quoniam tenent me angustiae, II. Reg. I. Quænam vero hæ fuerant angustiae? Ex Hebr. exponit Abulensis, qui ea verba sic legit : *Quoniam me tenent oræ vestimenti sacerdotalis, q. d. recordor sacerdotum 85. quos olim innocentes et sacerdotali habitu indutos iussi occidi propter Davidem,* I. Reg. XXII. *Illi nunc me excruciant, vi suarum vestium tenent trahuntque ad infernum.* Videbatur sibi Saul, ait Abulens. qu. V. ad eum locum quod propinquus morti videret sacerdotes Domini accusantes eum in judicio coram Deo. Et notandum in hoc facto est, quod Saul non ab alio, quam a puero Amalecita interfectus sit. Causam reddit Philo, I. de antiq. bibl. quia licet puer dixerit se casu intervenisse, cum Saul se interimere vellet, a Deo tamen eo destinatus erat, ut interficeret illum, cui mandata fuerat a Deo omnium Amaleuitarum inter necio. Ideo qui non omnes peremit, juste ab Amalecitis peremptus est, II. Reg. I. Ita fit, ut qui non interimit peccata sua per pœnitentiam, dum sanus est, postea moriens ab illis vexetur et maectetur. Simile est, quod de Henrico VIII. Angl. rege, plurimorum monachorum iniquissimo interfectore scribitur, in extremis positum cum jam aliud fari non posset, monachos tantum in ore habuisse, quos videlicet occidi jusserrat, quod impio ejus decreto et schismati subscribere noluerint, apud Florim. Ræmund. I. VI. de orig. hæ. Recentius adhuc est, quod refert, noster Benedictus Ferdinandus, in XXXIV. c. Gen. sect. IV. de quodam Lusitano nobili Ulisipone animam agente, qui sacris licet ad mortem omnibus communitus, et cereum ardentem manū tenens inter adstantium preces, oculis jam pene mortuis, vocibus interruptis annuit sacerdoti, dicens : *Sed quid de illa puella?* eoque dicto vocem cum vita perdidit. Nimirum cum esset juvenis, puellam vitiaverat, tametsi post dotatam honesti matrimonio locaverat. Nihilominus hoc unum morienti versabatur ob oculos, et conscientiam exulcerabat. Clypeum finxit quidam, qui coopertus nulli damnum inferebat : cum autem detegebatur omnibus quotquot intuiti essent, terrori erat, adeo ut omnino illo viso corruerent, uti refert Octav. de Tufo, in c. XI. de eccl. Cooperta nunc sunt peccatorum præsertim inventorum, parum aut nihil terrent. Verum in articulo mortis detegentur et in conspectum ejus producentur, quibus visis quomodo non deficiet,

quomodo non corruet et tabescet? Sane etiam gentilem Persarum regem Cambysem in angustias redegerunt morientem scelera ejus, parricidium fratris et sororis : incestus duarum sororum, iniquissima cædes multorum innocentum, templorum et sepulcrorum direptiones, etc. quæ omnia ipsi malus dæmon in terrifico somnio objecit, uti ipse fassus est, teste Herodoto. Quid fiet Christiano perverso, si hoc factum regi ethnico?

V. Incipiunt videre justum esse Deum, qui peccatores pro meritis plectit, et in peccatis suis comprehendit. Quod imprimis vidit, et agnovit in seipso Adonibezec, quando in fuga comprehensus a Juda, et truncatus manuum ac pedum summitatibus dixit : *Septuaginta reges amputatis manum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias; sicut feci, ita reddidit mihi Deus,* Jud. I. Simillimum est, quod Alexander imp. dixit, cum B. Martinam virginem Rom. nobilem post varia et dira supplicia jussisset capite plecti. Visis enim multis ab ea patratris miraculis, eodem die percussus est dolore cordis, ita ut carnes suas comederet gemens ac dicens : *Miserere mei Deus Christianorum, quia nomen tuum persecutus sum; sicut feci, mihi reddidisti.* Refert Mart. Polonus, anno 236. Ita mors aggressa impium illum Antiochum et vermibus jam depascens, coegit aperire oculos, ut fateretur, se cruciari propter illatas Hebræis injurias et tyrannidem suam : *Cognovi ergo, inquit, quia propterea invenerunt me mala ista,* I. Macch. VI. Sed quia confessio extorta et fictitia erat, locum pœnitentiæ non invenit. Noluit etiam in vita agnoscere Mauritius imp. errorem, quo decem millia Christianorum militum suorum levissimo lytro redimere a Chagano Hunnorum rege captos noluit, sed avaritia cæcatus, omnes potius contrucidari passus est. At cum præterea exauctoratus, et in manus Phocæ traditus, ab hoc deinde cum quinque filiis suis ad supplicium adductus est, ibi demum agnovit Dei justitiam; quando ad singulorum filiorum cædes exclamavit : *Justus es Domine et rectum judicium tuum,* apud Baron. anno 600. Et hic quidem invenit gratiam apud Deum, quia oblatam sibi ab eo pœnam libens ac pœnitens amplexus est. Sed non omnibus hoc contingit. Multi enim sero nimis, cum jam ad inferos abripiuntur, aperire oculos incipiunt, ut præ terrore instantis mortis erigere mentem ad Deum nequeant, quia ad hoc assueti non erant. Contingit his, quod gliribus montanis in Vallesia, qui totam ferme sub nive dormiunt hiemem, sicque dormientes e nidis et cubilibus suis extrahuntur, atque ad forum portantur adhuc conso-piti, et venduntur. Ast ubi in calidum delati lo-

cum evigilant, et cultrum jugulo jam appositum advertunt, tum demum sero nimis agnoscunt, quando illis dormivisse constiterit. Refert P. Stengel. in labyrinth. c. XVII. Hujusmodi glis fuit ille Pharao, qui tot ictus plagis e somno pertinaciæ suæ evigilare noluit; nisi postquam in mari rubro mole aquarum obrutus jam effugere, cum non posset, conatus est, clamans cum suis : *Fugiamus Israellem; Dominus enim pugnat pro eis contra nos,* Exod. XIV. Pugnarat sane contra eos per decem plagas, non tamen hoc advertit Pharao, nisi postquam aquæ intrarunt in os ejus. Verum sero nimis sapuit. Jam ut ad defunctum nostrum convertamus orationem, meliora omnia de ipso speramus; utpote quem scimus lethifero huic nequaquam indulsisse, sed servi instar fidelis potius sedulo vigilasse, atque adventum domini sui in dies expectasse. Scimus cum ægrotaret, statim mentis oculos ad Deum convertisse, salutaribus quoque remediis ad hoc iter in tempore se muniisse; unde fas est credere ad ipsum quoque pertinere, quod Salvator dixit : *Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus, invenerit vigilantem,* Luc. XII.

CONCIO XXVI.

MORS OPTIMUS PRÆDICATOR.

THEMA.

Per fidem Abel defunctus adhuc loquitur. Ad Hebr. XI.

Videntur quidem mortui jam muti prorsus et elingues esse. At si fidem S. Paulo damus, non omnino conticescunt : quinimo vel tunc maxime prædicatores nostri sunt. Ait enim apostolus ad Heb. XI. de Abele, qui primus omnium mortuus est : *Per fidem defunctus adhuc loquitur.* Sed quid loquitur et quomodo? An quia vindictam de fratre parricida exigit, ut indicat idem apostolus ad Hebr. XII. et aperte dixit Deus, Gen. IV. *Sanguis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Ita sentiunt aliqui. An forte, ad mentem apostoli verius, quia vitæ et innocentiae suæ exemplo admonet viventes? An omnino rectius sentiunt alii communiter, uti Hugo Victorinus eo loco quæst. XCV. *Loquitur, inquit, quia suo exemplo nos monet, ut simus just.* Loquitur, inquam, et quidem potenter. *Non enim tantum proicit sermo, quantum passio illius,* ait ibid Ribera. Quod de Abel dixit apostolus, de aliis quoque defunctis testatur Aug. serm. LXVI. ad frat. in eremo : « Vere, inquit, si ipsa ossa arida audire volueris, tibi præ-

dicare poterunt et dicere: O miser, quantum pro cupiditate hujus sæculi discurre? Aut quid superbis, vel luxuriæ infelicia ossa submittis? Attende ad me, et intellige et considera me. Hoc quod tu es, ego fui, et quod ego sum tu eris postea. » Quare videndum restat, quid tandem nobis prædicent defuncti, quid mors concionetur. Duo maxime concionatoris officia sunt, docere et movere. Utrumque præstat mors.

I. Docet quid sit vita hominis: Vapor nimirum ad modicum parens, ut ait S. Jacobus, cap. IV. Apparuit in Abele, quem probabiliter sentiunt occisum esse sub annum mundi 130. Unde credibile est Abelem secundum Adami filium non multo juniorem fuisse videlicet centum viginti octo annorum circiter. Et tamen a parentibus Abel, hoc est, Vanitas vocatus est; quasi non diu victurus. Quod enim infanti sunt decem anni, hoc ipsi erant centum anni. Nec vacat mysterio, quod suum primogenitum appellarint Cain, h. e. possessionem, ad Hebr. Kana, quod est possedit: secundo vero genitum, Abel, quod est vanitas. Memores enim suæ ad mortem damnationis, istum quod est in vita hæc, reputarunt vanitatem esse, q. d. *Universa vanitas est omnis homo*; adeoque etiam omnis possessio ejus, non nisi vanitas. Quod postea confirmavit Salomon Adamo, ut putant aliqui, sapientia non inferior, cum omnia hujus mundi bona appellavit Abel, hoc est, vanitatem; exclamans Hebraice: *Habel habalim, colhabel*, h. e. *vanitas vanitatum et omnia vanitas*. Hieronymus vocem *habel* asserit ab aliis exponi vaporem fumi, aut auram tenuem. Hoc igitur est, quod Jacobus dixit: *Vapor est ad modicum parens*. Itaque postquam homo deliciis suis fræna laxavit, et fecit sibi omnia, quæ placuerunt oculis ejus, ad instar Salomonis, quo tandem illa abeunt? In vaporem fumi. Neque vero qui diutius in peccatis degunt et deliciis, feliciores censendi sunt iis, qui hujus mundi miseris citius subtrahuntur: quod ostendit D. Ambros. l. II. de Cain. c. ult. « Ecce enim justus, inquit, innocens, pius propter gratiam devotionis, odia fratris incurrens; immaturus adhuc ævi sublatus est parricidio: et iniquus, sceleratus, impius, etiam fraterna cæde pollutus, longævam duxit ætatem, duxit uxorem, posteritatem reliquit, urbes condidit, et hoc meruit promissione divina. Nonne in his aperte vox Dei clamat: Erratis, qui putatis hic esse omnem vivendi gratiam, etc. Ergo et ista Cain longævitas indulta vindicta est, eo quod vixit metu, et prolixum spatium multum cucurrit, et infructuoso labore, qua pœna nihil gravius, quam ut quis ipse sibi majorum causa pœnarum sit. Vide

igitur quam perpetua vita justorum, et nulla sit improborum. » Sic Ambros.

II. Docet quid sit caro ejusque illecebræ. Fuit Abel respectu ætatis, quam tunc vivebant homines ad annos 900. et ultra, juvenis ætate floridus, neonon speciosissimus, a formosissimis ortus parentibus, et qualis repente factus est, cum a fratre occisus fuit? Quam dissimilis sibi? Quam deformis ex specioso? Ecce quid est homo? Colebant Babylonii pro numine draconem quemdam magnum, deque eo dicebat rex Danieli: *Ecce nunc non potes dicere: Quia iste non sit Deus vivens; adora ergo eum*. Verum Daniel coxit massam e pice, adipe, et pilis, et injecit in fauces draconis, qui præclusis faucibus mox diruptus est. Tunc ait regi Daniel: *Ecce quem colebatis! Græce: ecce numina vestra*, Dan. XIV. En tibi effigiem carnis. Colitur ea a mundo, et tantum non adoratur: verum modicum cibi insalubris eam occidit, aut culter aliquis perimit; dum jacet humi foetidum cadaver. Ecce quem colebatis! Ecce numina vestra! Bene ergo S. Gregor. XVIII. moral. ait: *Caro cum concupiscitur, pensetur quid sit exanimis, intelligitur quid ametur*. Et B. Petrus Damiani, l. VII. epist. ep. XIX. ad Blancam comitissam, postquam recensuit delicias conjugis Sylvii, Venetiarum ducis, inauditas, quibus se fovebat: et fetorem incomparabilem, in quem mortua degeneravit, subdit: *Quid ergo sit caro, doceat ipsa caro, quodque perhibet mortua, testetur et viva*. Bene quidem Deus representavit Nabuchodonosori regi per somnium, qualis ipse esset, et reges alii, quando ostendit statuam capite aureo, pectore argenteo, pedibus vero luteis. Designabat enim regum omnem gloriam, opes et splendorem desinere in lutum et cinerem, Dan. II. Verum ille hujus doctrinæ mox oblitus, erexit sibi statuam totam ex auro, a capite ad calcem, Dan. III. quasi de luto et cinere nihil plane haberet. Verum postea expertus est, quam seipsum deceperit. Ita homines hujus sæculi misere deluduntur: putant se totos aureos, unde et coacervant sibi aurum et argentum cum Salomone quasi æternum victuri; cum tamen pedes habeant luteos, quibus levi lapillo tactis corruunt in favillam.

Movet primo, ad pœnitentiam et cedendum divinis inspirationibus: sicut Abelloquitur pœnas exigens a reprobis, et impœnitentibus: quo modo accusatur fratrem suum a Deo fugientem et impœnitentiam. Ita movit Pharaonem saltem eo usque ut dimitteret Hebræos ad sacrificandum Domino, et pergendum in promissam sibi terram, quando in ultima plaga occidit omnia primogenita, tam in hominibus quam in pecoribus.

Quando enim vidit Pharaon domum suam et subditorum suorum omnes cadaveribus undique repletas: *Surrexit nocte, vocatisque Moysen et Aaron nocte, ait: Surgite et egredimini a populo meo*, Exod. XII. Ubi P. Cornel. a Lap. « Verisimile est, inquit, ipsum etiam Pharaonem tanta strage percussum, mentemque pecora surrexisse, ut Moysen adiret, quem suaviter quiescentem domus suæ inveniens, vocando excitavit dixitque: *Surgite, egredimini*. » Hoc in Ps. LXXVII. describens David, postquam omnes enumerasset plagas, quibus Pharaon incassum increpatus fuisset, subjecit ultimam illam: « *Viam fecit semitæ iræ suæ et non peperit a morte animabus eorum, et jumenta eorum in morte conclusit: et percussit omne primogenitum Ægypti, et primitias omnis laboris eorum tabernaculis Cham*, » h. e. Ægypto, q. d. prius parva manu, quasi per angustam viam, per ranas, muscas, ciniphes, aggressus est Pharaonem. Sed quia his nihil commotum erat, induratum cor Pharaonis; tunc aperuit Deus viam latam et spatiosam iræ suæ, et immisit ei mortem in primogenita omnia. Et quid actum? Tunc, annuente Pharaone, *Deus abstulit sicut oves populum suum, et perduxit eos tamquam gregem in deserto*, q. d. non erat opus, ut armaret populum contra Pharaonis impetum: sicut oves summa cum pace eduxit eum. Pulehre hoc idem ostensum est Joanni in insula Patmos, et per illum nobis, Apoc. VII. Ibi enim vidit quatuor equites; quorum primus in equo albo arcum manu et in capite coronam præferbat, secundus rufo, tertius atro sedebat, habebatque stateram in manu. Post hos vidit quartum mire personatum, insidentem equo pallido, et qui sedebat super eum nomen illi Mors. B. Albertus Magnus eo loco scribit per hos equos adumbratas esse varias ad convertendos peccatorum formas, quibus utitur Christus, nunc ingerens album incarnationis et humanitatis suæ equum, nunc ostendens rubrum diræ passionis suæ, nunc atrum mortis suæ amore nostri obitæ. Cæterum quando his omnibus viis nihil efficit in obdurato peccatoris corde, ut flectatur ad pœnitentiam, tum demum egreditur in pallido mortis equo, et projicit hominem in lectum adducitque ad portas mortis, ut vel in extremis constitutus respiciat, et agat pœnitentiam. Magnum profecto hoc est Dei beneficium. Et quam multi sunt qui non nisi pallido illo equo territi convertuntur in lethali morbo, qui dum sani erant, nullis aliis Dei stimulis emendari poterant. E multis exemplis recens unum audiamus. In ora piscaria Indiæ orientalis in prætereuntem quemdam gentilem, qui ad fidem explorandam permovei non pote-

rat, una ex crucibus in publico statutis, vento et imbribus labefactata fortuito casu incidit ei que ad terram prostrato vulnus infixit. E quo cum moriturum se metueret divinitus se admonitum credens, repente manus dedit, et Christianum se futurum vovit, ad baptismum suscepturum, ceceum quoque ad sedem sacram, si convalesceret, laturum promisit. Refert noster Sachin. tom. II. ann. soc. lib. VIII. n. CLXXVIII. ann. 1546. En qui mortis timor gentilem hunc intrare in Ecclesiam compulerit!

II. Ad evitanda peccata. Id quod etiam loquitur Abel defunctus, monens in pœna et tremore fratris sui mortales omnes, ne talia audeant committere, qualia ille ausus fuit, quæ recenset D. Chrys. homil. XIX. in Gen. videlicet invidere fratri, sub specie amicitie decipere, et in agrum educere, proximum lædere et occidere, factum negare et Deo mentiri, quorum omnium reus fuit Cain. Itaque signum in eo posuit Deus, tremorem scilicet membrorum, ut qui viderent ipsum sic castigatum, abstinerent a peccatis. « Nam, inquit Chrysost. totius vitæ tuæ productio posteritati utilis erit et id, quod solus nullo præsentis operatus es, hoc discent omnes, qui gementem et tremantem vident, et quasi per corporis tremorem clamantem et omnibus dicentem: Nullus talia audeat, qualia ego, ut ne in eandem pœnam incidat. » Quemadmodum ergo hic Caini tremor omnes, qui eum viderunt, peccatis ejus absterruit: ita et mortis aspectus peccatores coerceat. Quam ob causam dixit Salomon, Eccl. VII. *Melius est ire in domum luctus, quam in domum convivii*. Qua de causa, quæso, et quapropter? ait S. Chrys. hom. XX. ad pop. Ant. et respondet: « Quoniam illinc quidem dementia, hinc vero modestia nascitur. Et si quis ad opulentius abeat convivium, non amplius cum eadem lætitia domum revertetur: sed tristis quidem ad uxorem redibit, tristis autem et de sua mensa participabit, et molestus servisque et filiis et omnibus erit domesticus, ex aliorum copia suam diligentius paupertatem considerans. Nec hoc solum est grave, sed id etiam quod sæpe vocanti sed ad convivium invidet, et nil penitus boni sumens revertitur. Circa lugentes vero nihil tale dici potest, sed multa quidem disciplina, multa vero modestia. Simul enim quispiam domus mortuum habentis vestibulum ascenderit, mortuum intuitus mutum jacentem, et uxorem crines vellentem, radentem genas et brachia secantem, corripitur, tristatur et considerentium quisque ad proximum nihil aliud loquitur, quam quod nihil sumus, et malitia nostra ineffabilis est. » Hæc Chrys. qui hoc in eadem